

QUESTIO IV.

Quare Iesus non stabat, vel sedebat, sed ambulabat in porticu?

20. In limine quaestiois nota ex D. Cyrillo lib. 7. in Ioan cap. 9. quod cum esset dies festus ambulabat Iesus in templo, in porticu. Ut exemplo nobis esset, ait Cyrillus, in solemnitatibus magis frequentanda esse templa diuino cultui dedicata, & amplius ipsi insistentium, quae ad Dei honorem, & proximi salutem spectant, aderat huic encaeniorum solemnitati: ut populo salutaris suae doctrinae dona largiretur, & diuinitatis suae mysteria pateficeret. Cum esset dies festus ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis veluti altè disponens, quae ad Dei cultum, ac salutem proximorum spectabant, ut suo exemplo nos doceret in diebus festiuis templa esse frequentanda, & nos totos esse applicandos ad Dei cultum, ac bonum spirituale proximorum. Ad quaestionem

21. Respondet primò Ericus Abbas: Si tunc, ait, in porticu, id est qua rex ille quamuis potentissimus, & sapientissimus, tamen mortalis, atque terrenus stare solebat, perambulare non desepit scilicet Christus, multo magis penetralia cordium nostrorum sua praesentia maiestatis dignabitur: si tamen nostras mentes porticum esse Salomonis, id est si eas timoris sui plenas, qui est initium sapientiae, viderit. Porticus Salomonis ad ingressum templi, denotabat initium sapientiae ex timore Domini, ut significaretur, quod potentissimus Deus, non se denegat, sed delectabiliter ambulat in anima, quae eius timore repleta est. Ait Paulus suis discipulis 2. Corinth. 6. num. 16. Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis. Quinam sunt, qui tantum Deo placent, ut in eis tanquam in templo suo habitet? Timentes nempe eum. Theodoretus citatus à Leone à Castro in cap. 66. Haec: Ego, ait, habeo templum sanctum, quod secundum praecipua mea gubernetur, populum meum scilicet, qui timet me, & contremiscit ad sermones meos.

22. Secundò. Eusebius Emiffenus homil. 3. Dedicat. Ecclesiae: Aduerte, ait, quia in illius templi exterioribus adhuc foris, ambulat Iesus. Nec sedem ponit, sed deambulatur, nec intrus ingreditur: huius autem exteriora perpetuo habitaturus intravit, sicut ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, Matth. 28. num. 20. Componit ipse supremam felicitatem Christianorum templorum, cum statu Hierosolymitani templi; in hoc non ingreditur, sed foris ambulat: Ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis: tanquam veluti transeundo se habebat in templo illo; at verò in nostro templo, firmus, ac immobilis stat, & sedet. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem. Ex huius mirabili, ac immobili praesentia infirmas columnas vertimur, ut totum mundum nostris orationibus sustinere valeamus. Sic pergit citatus Eusebius: Illius autem templi machina super bases argenteas recumbebat. Hic verò, bases Prophetae, columna Apostoli, caput aureum Christus est. Hic, inquam, columna Sanctorum merita sunt, qui nutantis mundi statum orationibus sustinent.

23. Tertio. Confer hunc: Ambulabat Iesus, cum

illo, quod contigit post primorum parentum peccatum, dicitur Deum ambulasse. Cum audissent vocem Domini deambulantis, Genes. 3. num. 7. Non ibat, sed deambulabat; nam abire, est in vnum locum directè tendere; at ambulare est in gyrum agere. Emphaticè ergo dictum est, quod post peccatum primi parentis, quod Deus deambulabat, ita enim misericors est, ut hominem ad viam salutis reducat. Hugo Victorinus citatus Tilman. ad locum Genes. Deambulabat, ait, & non discedebat, neque abiit in directum, elanguens quasi irrenocabilis, nec reuersurus amplius: sed prope gyrens, & iuxta deambulans, abiit, & non abiit; modo vadens, modo rediens, & motu quodam incerto astuans quasi nolens sedem suam deserere, nec valens pollutam mansionem sustinere? Quid facis Adam? Quare stiles? Voca discedentem, sequere fugientem, quoniam adhuc prope est, & expectat, si forte reuertetur.

Quartò. Non stabat, vel sedebat, sed ambulabat, ita enim Christus nostrae salutis est audis, & cupidus, ut quodammodo inquietus videatur discurrere, donec reperiat hominem, in quo requiescat; videt Ioannes Iesum deambulantem in medio septem candelaborum aureorum, Angelo Ephesi Ecclesiae scribe, haec dicit, qui ambulat in medio candelaborum aureorum, Apocalyp. 2. num. 1. Christus Dominus ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & tunc subdit, quod ipse, & Patet ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, Ioan. 14. num. 23. Qui manet, non ambulat, sed firmus stat in vno loco. Quomodo ergo Christus dicit se in medio candelaborum ambulare? quorum nomina non solum praefules, sed & omnes fideles septenario numero denotati intelliguntur. Sic Christus Dominus nostrae salutis est audis, ut de vno loco in alterum discurrat, hominem quaerens, ut in eius corde fedeat, ac sedem suam constituat. Haymo: Bene itaque, ait, dicit, quod ambulat in medio candelaborum aureorum, ac si aperte diceretur, tandem inter electos, & reprobos exhortationis verbo discurrat, quousque inueniat, apud quem per opera virtutum mansionem faciat.

Quintò. Non stat, sed ambulat de vno loco in alium, ut non tantum vni, sed omnibus sua beneficia distribuat, & communicet. De quibus etiam à nobis exactè rationem exigit. Ambulat Iesus, in medio septem candelaborum aureorum, Apocal. 1. num. 13. Tamen ipse Ioannes ait: Fui in spiritu, & ecce sedes posita erat in caelo, & supra sedem sedens, Apocal. 4. num. 2. Sedens super sedem Christus Dominus est, ut multi interpretes autumant; quomodo ergo ipse apparet deambulans in medio candelaborum aureorum? qui ambulat, non supra sedem sedet, quomodo ergo haec coherent? Christus Dominus in omnes maxime liberalis, non quiescit, sed ambulat, dona sua, ac talenta sua per omnes diuidens, omnibusque communicat; postea verò tamen ut feuerus iudex sedens pro tribunali eorum exactam rationem exigit. Ansbertus ad citatum cap. 4. Apocal. Ibi ambulat, ait, quia dona tribuit: hic sedet, quia pro collatis numeribus, iudicium exercens singulos diiudicat.

Ioan. 10. n. 42. Circumdederrunt ergo eum Iudaei, & dicebant ei: quousque animam nostram

stram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

VERSIONES.

Syriacus. Et cinxerunt eum Iudaei, dicuntque ei: quousque tandem retines animam nostram? Si tu es Meschio, dic nobis aperte.

Arabicus. Quousque animam nostram affligis? Si tu es Christus, nuncia nobis palam.

D. Chrysof. Quousque animam nostram perdis? Ioannem.

Vatabl. Pagn. Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis in genuè.

Mar. Quousque nos suspensos tenes?

Caletanus. Dic nobis liberè.

EXPOSITIO II.

IRCUMDEDERRUNT ergo eum Iudaei. Illud, ergo, denotat, quod cum Iudaei nacti fuissent commodam, ac opportunam occasionem, cum vidissent Iesum deambulantem in loco vicino, ac coram multis circumdederrunt eum. Ex conditio, ac ex communi consensu, qui iniquis satis facilis est; cinxerunt eum, ita ut ait Toletus eum sistere gradum facerent, ne absque responso dato ex eorum manibus elaberetur. Iudaei, principes scilicet Iudaeorum, Sacerdotes, Scribae, ac Pharisei, cum magna multitudine populi, ut multitudine, ac eorum autoritate suam malitiam, ac peruersitatem tegerent, & absconderent. Vnde de eis ait David: Circumdederrunt me viruli multi, tanquam pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens, Psalm. 21. num. 13. & Psalm. 117. num. 12. Circumdederrunt ergo eum Iudaei, ut ait D. Thomas: Frigidi charitate diligendi: sed ardentibus audientibus nocendi. Ex quo profundè, & altè dixit Rupertus lib. 1. in Isaiam cap. 33. Vos, Iudaeos alloquitur, secundum furorem Sodomorum circumdederrunt eum, expetentes ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Quomodo furor Iudaeorum, qui Christum circumdederrunt, comparatur cum furore Sodomorum Angelos hospitio Lot susceptos circumuenientium? Nam Sodomitae ad delicias, ac voluptates eos quatebant; Iudaei verò Christo mortem, ac crucem machinabantur. Sic iudicabantur Iudaei in Christi morte inferenda, eiusque sanguine effundendo. Ut comparandi fuerint delictis Sodomorum nefariam suae libidinis sitim turpi luxuria explebimus.

Quousque. Quandiū nempe, Animam nostram tollis è medio scilicet, hoc est crucias, perdis, legit Chrysofomus. Arabicus, affligis. Alij verò, suspendis, seu suspensos habes. Seu ut explicat Euthymius, animam nostram suspensam, ac dubiam tenes. Veluti si dicant: Quandiū animos nostros

verbis tuis obscuris, & ambiguis excrucias, & incertos, ac dubios tenes? Ipsi enim nolebant intelligere, ut bene agerent: Si tu es Christus, patribus promissus. Dic nobis palam, aperte, clarè, ac lucidè, liberè, & sine metu; fingunt se tanquam hypocritae se magno desiderio aestuari agnoscenti Christum, seque ipsius verbis velle in hoc negotio stare, ut sic magis suam malitiam abscondant, & occultent; haec enim dicebant, ut haberent occasionem eum accusandi, ac calumniandi, ut notat Leontius, Theophylactus, Euthymius, & Chrysofomus, qui ait: Charitate quadam, & discendi desiderio haec dicta videbantur, animus autem corruptus erat, & subdolis. Christus enim satis palam locutus fuerat, sed ipsi ut verbis eius repugnarent, dicebant: Tu de te ipso testimonium perhibes, Ioan. 8. num. 15. de quo quaestione saquenti.

QUESTIO V.

Quare Iudaei instanter à Christo quaerunt, ut ipse de se testificet palam, an sit Christus, & Messias promissus in lege?

MAXIME notandus est modus loquendi Iudaeorum: Quousque animam nostram tollis? Corda nempe nostra crucias, & affligis, quandiū in tui consideratione, ac inuestigatione occupamur, dubietas enim, ac perplexitas in agnosceda veritate maxime mentem torquet, quousque ad illam pertingat. Vide supra cap. 10. quaest. 1. num. 8. cap. 11. exposit. 7. n. 63. & cap. 14. q. 2. n. 14. & cap. 22. q. 13. n. 90.

Ad quaestionem respondet primò Beda: Haec interrogabant, ait, non veritatem inquirendos, sed insidiando, & calumniam struendo: nam si se Dominus Iesus Christum esse responderet, cogitabant eum tradere potestati praesidis puniendum: quasi contra Augustum repugnans, illicium sibi usurpare imperium. Idem docent Alcuinus, D. Bonavent. Clithouæus in comment. D. Cyrillus lib. 7. cap. 5. Caietanus, Hugo, & alij, quod sic explicio; fraudulenter, & insidiosè interrogant. Nam si Dominus negaret se esse Christum, omnem ei fidem, & auctoritatem aquo populum detraherent, & tanquam seductorem eum arguerent, qui sine causa ab ignoranti populo Christum credi affectabat. Si verò affirmaret se esse Christum, & Messiam (quod verisimilius dictum credebant) ut eum tunc tanquam criminis reum accusarent: pro indubitato habebant omnes Iudaei, Christum promissum fore regem. Regnabit rex, & sapiens erit. Quod Iudaei ut rudes temporaliter intelligebant; si ergo Dominus se dixisset esse Christum, se etiam dixisset regem, ac proinde daretur occasio eum accusandi, ac calumniandi. Omnis qui se regem facit, contradicit Casari, ut postea ipsi clamauerunt, Ioan. 19. num. 12. Ac proinde sapientissimè Christus Dominus calumniam declinat, eis sua opera obijciens. Vide tom. 3. cap. 14. exposit. 2. num. 11. Vide alia in Indice, verb. Murmurator.

Secundò. Toletus. Triā mendacia, ait, fraudulenter continent haec verba à Iudaeis proposita. Dic nobis palam. Vnum, ac si dicerent: haecenus non es palam, aperte, ac liberè locutus te esse Christum, quod erat euidentis mendacium. Ut patet ex superioribus cap. 8. num. 25. & num. 42.

Genes. 3. Deum gyrum perentorem veluti ut viam inueniat reducendū eū ad se. Hugo Vict.

24.

Apoc. 1.

Ioan. 14.

Christus nostra salutis cupidus in homine requiescit. Haymo.

25. Deum in omnibus diffundit sua beneficia. Apoc. 1.

Apoc. 4.

Ansbert.

26. Iniqui facili conueniunt.

Tolet.

Psalm. 21. Psalm. 117. D. Thom. Rupert.

Iudaei delabantur in Christi morte inferenda.

27.

Chrysof. Arabic. Euthym.

Leont. Theophyl. Euthym. Chrysof.

Ioan. 8.

28.

29. Beda.

Alcuin. Bonavent. Clithou. Caietan. Bonavent. Hugo.

Nullo dicendi modo detrahentium linguas potest homo fugere.

Ioan. 19.

30. Tolet.

In uno verbo multa mendacia.

Culpa in Dominum refundere cogitant.

31. Chrysof.

Ioan. 2.

Peruersitas nec verbis, nec factis conuincitur.

Ioan. 9.

32. Iniqui suis dictis, ac factis se contradicunt.

Ioan. 8.

Euthym. Ioan. 9.

34. Chrysof.

Genes. 4. Sub blandis verbis grauisimum malum adulator inuigilat.

Bernard. Psalm. 14. Hieron.

35. Psalm. 69.

& saepe multis in locis. Secundum. Cum dicunt: Dic palam, videntur denotare, quod si Dominus dixerit palam, credent ei, nec amplius suspensio animo erunt. Quod erat apertum mendacium, vt ipsi statim facto declararunt, voluerunt eum lapidare, dicentes; Quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum, infra num. 33. Tertium mendacium, cum dicunt: Dic palam. Veluti innuunt. Si haec tenus non credimus, id in causa est, quod tu non es locutus palam: iam enim credididisse tibi, si locutus fuisses palam. Sicque totam culpam suae malitiae in Dominum refundere cogitant. Vide in Indice, verb. Culpa.

Tertio. D. Chrysofomus homil. 60. in Ioan. Considera, ait, eorum prauitatem: cum verbis erudimur, dicunt. Quod signum ostendis nobis, quod haec facis? Ioan. 2. num. 18. Cum operibus eius virtus demonstratur, dicunt: Si tu es Christus dic nobis palam. Sic operibus clamantibus ad verba: verbis autem ad opera confugiunt, & contrariis semper insistant. Peruersitas nec verbis, nec factis conuincitur, cum Iudaei vident Christi opera verba eius quaerunt; & cum verba audiunt, opera exoptant; imò nec verbis, nec factis quiescunt, sed vtraque crudeliter calumniantur. Vident caecum à natiuitate sanatum, & audiunt Dominum dicentem, quod ipse sit filius Dei. Qui loquitur tecum ipse est, Ioan. 9. num. 37. Et tamen dicunt: Demonium habet, Ioan. 10. num. 20. Quae est historia commixa cum illa de caeco, vt est communis sententia, & dixi cap. 29. num. 1.

Quarto. Cum Iudaei dicunt: Si tu es Christus dic nobis palam, insinuant apparente se verbis eius velle; cum tamen ipsimet Iudaei contrarium verbis, ac factis demonstrant; nam cum Christus Dominus de se ipso dabat testimonium dicebant: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum, Ioan. 8. num. 13. facto etiam in Dominum Iesum credere contrariabant. Nam apud eos erat constitutum, vt bene notat Euthymius: Vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagoga ferret, Ioan. 9. num. 22. Iniqui in suis dictis, & factis inconstantes, libimet contrarij existunt. Vide supra cap. 14. expol. 5. num. 48. cap. 17. quæst. 16. num. 104.

Quinto. Dic nobis palam: blandis verbis vtuntur, vt notat D. Chrysofomus; his enim nil simplicius proferri posse videtur; & tamen sub illis callide Iudaei venenum contingunt, vt per adulationem decipiant, contraque eum multis calumniis, & accusationibus insurgant. Postquam Cain vidit sacrificium fratris sui Abel, vt gratum fuisse acceptatum à Deo, suumque repudiatum toruo, atque irato animo erat erga fratrem infidiosè, vt narrat textus: Dixit Cain ad Abel fratrem suum: egrediamur foras, Genes. 4. num. 8. Cur fratrem nominat, cum proditoriè interimere eum cogitat? Verba blanda habebat in ore, sub fraternitatis nomine, & tamen venenum mortis cogitabat in mente, idè sub suauitate adulatoria fraternitatis infidias mortis abscondebatur in animo. Vnde ait D. Bernardus in sentent. explicans illud Psalm. 54. num. 21. Moliti sunt sermones super oleum, & ipsi sunt iacula. Sic ait sanctus Doctor: Rectè non molles, sed molliti, quod fit in eis non tan vera, & solida, quam superdulta, & simulata suauitas. Vnde ait D. Hieronymus lib. aduers. Iouinian. Pulchrè, inquit, adulator apud Philosophos definitur. Blandus inimicus.

Ait Regius Vates Psalm. 69. num. 3. Confundantur, & reuerentur qui quaerunt animam meam. Ad dunt Psalterium Romanum, & Cassiodorus, Inimici mei. Hoc est confusione, ac pudore afficiantur inimici, qui quaerunt animam meam, hoc est vitam meam, vt auferant eam, vt additur Psalm. 39. num. 15. Pergit Psalmista num. 4. Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Id est resiliant, & pedem retrahant quicumque magno impetu, vt explicat D. Augustinus, mihi, meisque rebus machinantur mala, & immediatè subdit: Auertantur statim erubescantes, qui dicunt mihi euge, euge. Postulat, vt auertantur, recedant, & abeant ab eo statim. Græcus, confestim. Quinam sunt isti, qui dicunt mihi euge, euge; quod est verbum applaudendi, laudandi, gratulandi, ac adulandi, vt explicat N. Incognitus, Hugo, Lorinus, & alij. Valde mirum! quod ad tempus patienter sustinet Propheta. Quærentes animam illius, vt eum interficerent, ac etiam volentes, ac machinantes illi mala, vt ab omnibus suis bonis expolietur, at applaudentes, & adulantes verbis blandis, ac commendacijs euge; euge; nec ad momentum valet dissimulare, sed obnixè affectat, vt statim, ac confestim auertantur, & discedant ab eo, absque vlla mora. Optimè sciebat maius, ac crudelius esse malum sub blando, ac suauiter adulatorio illatum, quam omne nocumentum ac aduersario vitam, ac omnia bona insidiantem, & idè tanquam à graui peste declinandum vehementer obsecrat, vt statim auertantur. D. Augustinus ibi: Duo, ait, sunt genera persecutorum, vtuperantium, & adulantium: plus persequitur lingua adulatoris, quam manus intersectoris.

Ioan. 10. n. 25. Respondit eis Iesus: loquor vobis & non creditis opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.

Num. 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Num. 27. Oues meæ vocem meam audiunt, & cognosco eas, & sequuntur me.

Arabic. n. 25. Iam dixi vobis. Syriacus. At opera, quæ ego facio, ipsa testantur de me.

Syriac Euth. Quia non estis de ouibus meis, quemadmodum dixi vobis.

Euthym. 27. Agnosco eas. Origenes. Præcedo eas, & sequuntur me meæ.

Syriacus. Ipsæque post me veniunt.

EXPOSITIO III.

RESPONDET eis Iesus. Strabus, Sic ergo temperat Dominus responsum, ut sic locus calumniae, & fidelibus manifestè appareat, quod ipse sit Christus, non homo tantum, sed & filius Dei. Bonis veritas declaratur, & à perfidis calumnia euitatur, hoc vnico verbo, loquor vobis, id est nihil aliud facio, quam hanc veritatem loqui, & aperire vobis

36. Strabus.

Obedienti vna vox, seu mens sufficiens. Ad Tit. 3.

Græcus.

Ioan. 8.

Carthuf.

37.

Culpa retorquetur in lucos.

August. Tolet. Barradas. Burgens.

38.

Deus videt merita, ut illi tribuat præmia.

39.

Obedienti vna vox, seu mens sufficiens. Ad Tit. 3.

vobis, me scilicet esse Christum. In Græco est in præterito, iam sepe dixi vobis, & idem est sensus; prudenter quidem veritatem declarat, & eos tacite mendacij arguit, ne impudentiores fiant. Et non creditis. Ac si dicat, non obscuritas verborum meorum causa est vobis non credendi, sed prauitas animarum vestrarum, ac obstinata vestra malitia. Qua dicitis: Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum, Ioan. 8. Opera qua ego facio. Ac si dicat; Si in verbis meis aliquam sine fundamento fingitis obscuritatem, asigno vobis mea opera, quæ clarissimè ostendunt me esse Christum. Carthusianus, testimonium à meis verbis quaeritis, ego testimonium do vobis ex operibus, vt pote maius, & firmiter apud homines. In nomine Patris mei. Non ait, in nomine meo, sed Patris mei; cuius gloriæ, & honori omnia sua referebat, cui maxime in omnibus se conformem exhibebat.

Sed vos non creditis. Non vultis credere meis verbis, ac operibus, vt me agnoscat vestrum Saluatorem, & Messiam, qui a non estis de ouibus meis. Non acquiescitis, ac non creditis verbis meis, quia alieni estis à meo grege, mihi que tanquam vestro pastori subiti reculatis, sicque vestra malitia est in causa, vt tanta cæcitas mentem vestram teneat; ex quo Iesus in ipsos retorquet culpam incredulitatis eorum; quam illi fingebant reiciendam in ipsum Iesum. D. Augustinus, Toletus Annot. 16. Barradas, Lucas Burgensis, per oues solos prædestinatos intelligunt. Cum autem Deus neminem excludat à numero suarum ouium, ac electorum nisi culpa sua. Cum ergo ait: Vos non estis de ouibus meis, eorum malitia, & culpa significatur, propter quam Deus eos reiecit, & reprobauit.

Oues meæ vocem meam audiunt. Prompto, ac attento animo me excipiunt, meisque verbis credunt, ac obediunt; subintelligendum reliquit Dominus. Propterea vos non auditis, quia non estis ex ouibus meis. Et ego cognosco eas. Sicut enim oues vocem meam cognoscunt, vt me sequantur, mihi que obediunt, sic ego agnosco eas, vt earum fidem, ac obedientiam præmijs remunerem; & sequuntur me: tanquam suum pastorem, meis præceptis obtemperant, vitæque meæ exempla imitantur. Et cum ait, sequuntur me, apponit causam, cur eas cognoscat, quia earum fides, ac obedientia coniuncta est cum operibus.

QUESTIO VI.

Quare Christus Dominus in suis ouibus non commendat, quod lac, vel lanam præbeant, sed quod vocem eius audiant, ipsamque sequantur?

RESPONDEO primò. Quod Christus Dominus maxime in suis ouibus commendat, quod vocem eius audiant, ipsamque sequantur, in quo earum obedientia insigniter denotatur, quæ maxime in subditis commendatur; vnde notanter dicitur, vocem meam audiunt; non verò voces, quasi illa vna tantum voce, non diabus verò ad Christi mandata exequenda indigeant. Vnde Paulus ad Titum 3. num. 1. illum instruit, vt fideles commonefaciat, vt suorum prælatorum

dicto, & voci obedientes se exhibeant. Admonet illos dicto obedire. Ex quo ipse Doctor genitum monet, eum, qui secus fecerit, cauendum esse, tanquam à Christi grege alienum, 2. ad Thessalon. 3. num. 14. Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notaate. Non dixit verbis nostris, sed verbo nostro; oues enim Christi, vnam, ac primam vocem audiunt, ac obediunt. Imò verè Christi discipuli non indigent voce, sed minimo sibilo, ac nutu paratissimi sunt ad obsequendum. Sic bonus pastor ait, Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos, Zachar. 10. num. 8. Preme verbum, sibilabo; ac si dicat, non pluribus vocibus vtat, imò nec voce, sed leui tantum digno ad iucendum, & reducendum gregem meum. Stephanus Cantuariens. in allegor. Gotfrid. Tilman. Quasi solo, ait, sibilo opus sit, non prædicationis tuba.

Secundò. D. Ephrem serm. de Antichristo: Que oues aperte, ait, vocem sanctam veri Pastoris agnoscent, continuo vocem seductoris agnoscent. Neque enim similis est sancti Pastoris voci: nam cum sit vox furis, inmisit, incomposita, atque confusa, prorsus noscitur. Oues cognoscunt vocem veri Pastoris, vt distinctam à voce falsi pastoris, ac furis, sed in quo cognoscitur vt distincta? Quia vox boni Pastoris, ac Dei vox est suauis, ac composita, nihil exorbitantiæ, ac absurditatis habens. At vox falsi pastoris, ac diaboli valde incomposita est, & à recta concinnitate multum aliena, malumque iniquitatis odorem statim exhalat. Aliter verò se habet sermo boni Pastoris, ac modestia, ac probitate.

Tertio. Oues meæ vocem meam audiunt. Chrysofomus homil. 60. in Ioannem: Hæc dicebat, ait, vt oues fieri admitterentur. Inde cum dicit sequuntur me: eos tangit, & excitat, & in sequendi cupiditatem impellit. Mali, reprobi, ac eiectioni erant illi Iudaei, & tamen suarum ouium exemplo eos excitat ad eum sequendum, illique obediendum; nullus est tam malus, qui si bene operetur non valeat salutem assequi. Cum vidisset Cain sacrificium suum non fuisse à Deo acceptatum, iratus est vehementer, & concidit vultus eius. Cui ait Deus: Nonne, si bene egeris, recipies? Genes. 4. num. 7. recipies veniam, ac in præmium æternam vitam, Cain non de prædestinatorum, sed reproborum numero erat, quomodo ei est dictum, quod si bene egerit, recipiet veniam, & præmium? Nullus est tam malus, qui bene operando non valeat assequi salutem. Seraphinus à Potrecta Ordinis Prædicatorum conc. 6. in cap. 4. Genes. Clarissimum est, ait, quod Cain erat reprobus, & tamen audit à Deo, quod sua bona si faciet, non amittet mercedem, quid apertius contra hereticorum tentationem nunc maxime vagantem? Qui dicunt, si sum reprobus quantumcumque bene agam, damnabor, vnde trahunt istud? Ex officina sanè diaboli parris illorum, nam ex officina Dei, vt hic ad litteram luce meridiana clarius apparet, oppositum habetur.

Quarto, & maxime ad quaestionem, Oues meæ vocem meam audiunt. Hoc maxime in ouibus commendatur, quod pastore vocem audiunt, eique obediunt. Res mira! non laudantur oues ab hoc diuino Pastore, vt solet fieri apud homines, quod multum lactis, ac lanæ afferant, sed quod vocem eius audiant, eique obediunt, ac eum sequantur.

2. Theff. 3.

Zach. 10.

Steph. Cant.

40. D. Ephrem.

Sermo, qui est à Deo, cum iustitia, ac modestia est.

Ester 14.

41. Chrysof.

Quilibet etiam malus bene operando potest saluari.

Genes 4.

Seraphin.

42.

inter illos tanta vnio? Nunquid natura hoc va-
luit efficere? minime; sed solum Dei gratia, ac
dispositione sic ordinatum est; de hac vnanimi-
tate ait Paulus. Sacramentum hoc magnum est, ego
autem dico in Christo, & Ecclesia. Maxime enim
naturæ deprauatæ vites superat, quod dico inter
se multum discrepantia vnanimiter conueniant,
vt fiant vnum, solum enim hoc ex Dei habitu, ac
eius gratia venit. D. Basil. Seleuc. orat. 4. Postquam
Adamus de pulvere conformatus est, & terra ad ho-
minis naturam detornata, postquam latus Euam
edidit, & in vnum egit non naturæ lex, sed facultas
subente Deo accepta. Expende. In vnum egit non
naturæ lex. Vide in hoc tom. 1. 2. ac 3. Verbum
Vnio, in Indice.

QVÆSTIO VIII.

Quare Christus Dominus exprimit, quod
oues suas nemo possit rapere
ex eius manu?

54. DE prædestinatis est sermo, quos Christus
Dominus ait neminem eos posse rapere de
manu sua, quos enim Deus elegit in possessionem
suam, omni cælesti benedictione replentur, à qua
reprobi, ac eiectioni exclusi sunt. Moriturus Iacob
omnibus duodecim filiis suis benedixit. Bendixitque
singulis benedictionibus propriis, 49. num. 28. Aliter
verò Isaac cum haberet tantum duos filios, vni
Iacob dar largam benedictionem, alteri verò filio
eam impendere maximè recusat: frumento, & vi-
no, stabilius eum, & tibi posthæc, fili mi, ultra quid
faciam? Genes. 27. num. 37. Cur ergo Isaac sic de-
reclat dare duobus benedictionem, cum Iacob
valde large eam duodecim elargitus fuerit? Esau
filius maior Isaac deputatur ad populum alie-
nigenom, & ad populum, qui non pertineret ad
Dominum; filij autem Iacob omnes constitu-
bant vnum Dei populum, vnamque Dei posses-
sionem, ac hæreditatem, & ideo omnes benedi-
ctionibus implebantur. Rupertus lib. 9. in Genes.
cap. 22. Filij Isaac, ait, in duos erant populi diuidendi:
plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in
vniuersitate paterna fidei Deum verum, & vnum hæredi-
tate possessuri, vel ab ipso erant possidendi. Expende
hæc vltima verba. Ab ipso erant possidendi. Cum
ergo destinarentur ad Dei possessionem omni be-
nedictione cumularentur, à qua eiectioni sunt ex-
clusi.

55. Christus Dominus ait de suis ouibus. Et non
rapiet eis quisquam de manu mea; docet quod oues,
ac fideles sui à se electi, & prædestinati; ita in ma-
nu, ac potestate eius sint tuti, & securi, vt nulla vi
creata, vel fraude valeant impediri, quin vitam
æternam adipiscantur. In hoc sensu Interlineal.
D. Bonauent. Hugo, Carthusian. Lorinus, & alij
interpretantur illud Sapient. 3. num. 1. Iustorum
anime in manu Dei sunt. Id est in tuto sunt positæ,
illæque feruantur, ne succumbant procellis, &
impugnationibus impiorum. Sicque dicitur Deu-
ter. 33. num. 3. Dilixit populos, omnes sancti in manu
illius sunt. Hoc est, vt interpretantur Glossa, Ly-
ran. Abulenſis ibi. quæst. 2. sub protectione diui-
na sunt. Ait Isaias 33. num. 2. Domine miserere no-
stri, te enim expectauimus, esto brachium nostrum in
mane. In Hebræo habetur. Esto robur fidelium. Seu
defende fideles: ab omni impetu, ac incurſu

inimicorum, cum enim sub Dei manu sunt, Deum
habent defensorem.

Loquens Isaias de assistentia, ac protectione
Dei erga iustos ait. In umbra manus sue protexit me.
cap. 49. num. 2. Non ait in manu sua, sed in um-
bra, tam potens est Dei manus, vt non solum
ipsa, sed etiam eius umbra, valeat nos protegere,
ac defendere. Umbra, vt notat Plinius lib. 17.
cap. 12. alia salutifera, alia noxia, vnde lib. 16.
cap. 13. ait ipse; serpentes exhorrescere umbram
fraxini; umbra diuinæ manus hominibus est val-
de salutifera, valde tamen noxia, ac exitialis ser-
penti antiquo, qui lethaliter sub arbore vulnera-
uit primos parentes. Ad hoc tendit D. Ambrosius
serm. 3. in Psalm. 118. ad illa verba. Retribue seruo
tuo, &c. sic ait: Nobis expandit manus suas Iesus,
vt totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus
in umbra, qui crucis eius protegemur velamento?
Quomodo in umbra, quos crucifixus à malignitate se-
culi, & corporis ardore defendit.

Vidit Ezechiel cap. 1. Quatuor animalia, in
quibus, vt voluit D. Iustin. Lyran. Maldon. quatuor
regna denotabantur. Vnumquodque quatuor fa-
cies habebat: faciem hominis, quo prudentia de-
notatur; faciem leonis, quo fortitudo; faciem
bouis, quo labor; faciem Aquilæ, quo sagacitas ex-
primitur. Vbi erat imperius spiritus, illuc gradie-
bantur. Ezech. 1. num. 12. Gaspar Sanchez per im-
petum Spiritus interpretatur, imperium, ac im-
pulsus spiritus, veluti aurigæ manum dirigentis,
ac gubernantis, & subditur. Nec reuertebantur cum
ambularent. Sed semper vincendo, ac dominan-
do vltierius pergebant; vnde in his animalibus tan-
tus triumphus? Numquid quia in eis erat pru-
dentia, sagacitas, fortitudo, vel labor? Minime, sed
quia in eis erat spiritus dirigentis tanquam auræ,
ideo in textu connectitur; Vbi erat imperius Spiritus,
illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambu-
larent. A Dei manu protegente certum prouenit
adiutorum tu tamen, ac directionis dictamen, vt
conculcatis hostibus, salutis æternæ gloriam as-
sequamur.

Ioan. 10. n. 31. Sustulerunt ergo lapides
Iudæi: vt lapidarent eum.
Respondit eis Iesus.
Num. 32. Multa bona opera ostendi
vobis ex Patre meo; pro-
pter quod eorum opus
me lapidatis?
Num. 33. Responderunt ei Iudæi:
de bono opere non lapi-
damus te, sed de blasphe-
mia: & quia tu homo
cum sis, facis te ipsum
Deum.

VERSIONES.

Syriacus n. 31. Et sustulerunt rursus Iudæi
lapides, vt obruerent
eum.
Syriacus n. 32. Multa opera præclara à
Patre meo ostendi vobis.
Pagnin. Propter eorum operum.
D. Augustin. Me vultis occidere.

56. Isai. 49

Plinius.

Manus Dei nos protegit. Ambros.

57. Iustin. Lyran. Maldon.

Ezech. 1. Sanchez.

A Dei manu salus, & tutamen.

Aria

Arias Mont. De pulchro opere non lapi-
damus te.

Syriacus. Non propter opera bona
lapidibus te petimus, sed
quoniam blasphemias.

D. Epiphanius. De bono opere non inter-
ficimus te, sed de blasphe-
mia, & quia tu homo
cum sis, facis te ipsum
æqualem Deo.

Euth. Vatabl. Ob bonum opus non lapi-
damus te, sed ob blasphe-
miam.

EXPOSITIO V.

58.

SVSTULERUNT ergo. Illa par-
ticula, ergo, causam lapidationis
indicat eam esse, nempe præcedens
verbum, quo dixerat, Ego & Pater
vnum sumus. Quo significatur Ie-
sum esse vnum verum Deum cum Patre in vnita-
te vnus essentia diuinæ. Et melius Iudæi, vt no-
tat D. Thomas, quam Arriani intellexerunt ver-
bum Christi, quo dixerat: Ego & Pater vnum su-
mus, non posse dici nisi vbi est æqualitas Patris,
& Filij. Sustulerunt lapides Iudæi. Iudæorum
principes, ac magnates, qui præcipue Christo in-
uidebant, furore agitati leuauerunt lapides è ter-
ra, seu fortè ex pavimento porticus, seu atrij
extractos. Nonnus: Ex pavimento, ait, lapides su-
stulerunt, vt præ lapidaria rabie Christum iacula-
rentur missilibus fragosis, & asperis. Voluerunt
autem eam lapidare tanquam de blasphemia,
quod se diceret tanquam æqualem Deo, Chri-
stus tamen diuina vi furentium cohibuit impe-
tum. Bene hoc notat Euthymius: Vide, ait, quo-
modo conuicti sint, quod non discendi causa interro-
garent, sed occasione alicuius arripienda, qua
eum comprehenderent. Iudæi etiam nolentes suam
malitiam, ac liuorem in Christum prodeunt,
quod scilicet non sincere, sed fictè, ac malitiosè
eum rogarunt, vt palam diceret se esse Chri-
stum, vt inde eum accusarent, ac comprehen-
derent.

D. Thom.

Nonnus.

Euthym.

Albertus. Bouauent. Hugo. Beneficia non exprobranda.

59.

Psal. 4. Psal. 84. Psal. 59.

Carthuf. Maldon.

Respondit eis Iesus. Non verbis, nulla enim
præcesserunt, sed intentioni, ac machinationi Iu-
dæorum, & tam blandis, ac modestis verbis lo-
quitur, vt eorum animos ita ac furore turbatos
sedet, & pacatos reddat: Multa bona opera ostendi
vobis. Non ait; vnum, vel alterum opus feci, sed
multa, & cum ait, bona, denotat opera esse facta
in eorum commodum, & vtilitatem, vt notant
Albertus Magnus, D. Bonauent. Hugo, & alij. Bo-
na autem, quæ ipse fecit, nec etiam in genere nu-
merat, ne se iactare, vel bona à se collata recense-
re videretur.

Ostendi. Id est exhibitum, feci, ac in vos contuli.
Phrasis est Hebræa id significans. Psal. 4. num. 6.
Quis ostendat nobis bona? Psal. 84. num. 8. Ostende
nobis misericordiam tuam. Psal. 59. num. 5.
Ostendisti populo tuo dura. Nota quod ostendere
plus denotat, quam facere, ostendere ita & facere,
vt is, cui sit oculis videat, manibus teneat, ac ita
experiat, vt negare, aut ignorare non possit.
Carthusianus: Ostendi, id est coram vobis feci. Ex
quo duplex vitium in Iudæis notat Maldonatus.
Primo est cæcitas, quod bona Christi in se opera
Sylueira in Euang. Tom. IV.

non videbant, nec intelligebant. Secundo ingrati-
tudo, quod tam magnum benefactorem lapidare
volebant. Ait: Ostendi vobis, demonstrans, quod
id, quod verbis dicebat, Ego & Pater vnum sumus,
operibus manifestabat. Ex Patre meo; nempe vir-
tute, ac potentia diuina Patris mei, ad cuius glo-
riam, omnia sua referebat. Me lapidatis. Caiera-
nus sic ait: Non dicit vultis lapidare, sed lapidatis;
vt intelligamus, quod erant in procinctu lapidandi;
imò quod quantum ex ipsis erat, lapidabant: Diuina
autem virtute inuisi continebantur à lapidando.
Actu non lapidabant, sed affectu, qui affectus tan-
quam actus computatur apud Deum.

Responderunt Iudæi. Quamuis à lapidibus se
Iudæi continent, verba tamen incomposita ad-
diderunt: De bono opere non lapidamus te. Alci-
nus, Leontius, Euthymius, putant Iudæos his ver-
bis cõfiteri multa opera bona facta fuisse à Chri-
sto Domino. Maldonatus tamen, Lucas Burgenſ.
sic interpretantur hæc à Iudæis dici tanquam sub
sermone dubio. Id est, si quod bonum opus osten-
disti, quod modo non disputamus, ob illud tamen
te nolimus lapidare. Sed de blasphemia, seu vt alij
legunt: Propter blasphemiam: ac contumeliam,
quam Deo infers. Quia tu homo cum sis te ipsum
Deum facis: honorem tibi diuinum vsurpas. In
hoc tamen maximè errabant Iudæi, inferentes, ex
eo quod Christus esset homo, non posse esse
Deum; hoc enim fundamentum erat futile, &
inane contra promissiones scripturarum, quæ tes-
tificabantur, quod Christus foret simul Deus, &
homo in vnitatem vnus naturæ, vt fides Catholica
profiteretur in Iesu filio Dei.

Caieran. Affectus interius veluti actum externus reputatur.

60.

Alciua. Leont. Euthym. Maldon. Burgenſ.

QVÆSTIO IX.

Quare Iudæi in præſenti Christum lapidare
voluerunt?

VIDE de hac re similem quæstionem sur-
pra cap. 17. quæst. 21. & quare Dominus
hic verbis responderet, non verò in alio si-
mili euentu? Ioan. 8. num. 59. Cum etiam ad lapi-
des currunt, Vide idem cap. 17. quæst. 16.

Ad nostram quæstionem, Iudæi Christum vo-
luerunt lapidare. Primo ipsi rationem assignant.
De blasphemia, seu propter blasphemiam. Quia
homo cum sis, te Deum facis. Bene iudicabant bla-
spemos secundum legem esse lapidandos, Leui-
tic. 24. num. 16. Maximè tamen errabant, quod
Christum putarent blasphemum, quia se Deum
faceret; nam sic exterius apparebat homo, vt in-
terius esset verus Deus vnà cum Patre in vnitatem
vnus essentia. Vnde rectè de eis ait D. Cyrillus:
Zelum habetis, sed non secundum scientiam. Zelo
honoris Dei se moueri dicebant, tamen huiusmo-
di zelus non erat coniunctus cum scientia, sed
cum liuore, ac obstinato odio; si enim Iudæi ve-
ram scientiam haberent apertè ex operibus, scri-
pturis, ac verbis Iesus intelligerent ipsum esse ve-
rum Deum, verumque Messiam, sed inuidia, ac
malevolentia ad omnia etiam apertissima eos ob-
cæcabat.

Secundo. Rupertus: Vsq̄ ad tollendos lapides
potuerunt currere Iudæi, & lapidei sui cordis duri-
tiam armatis manibus proderet. Et D. Thomas: Du-
ri erant Iudæi, ait, & profunda Domini verba in-
telligere non poterant, lapidibus similes ad lapides

61.

Ioan. 8.

62.

Leuit. 24.

Cyrill.

Zelus sine scientia, & cum odio ad turpissima crimina im-
pellit.

63.

Rupert. D. Thomas.

D D d

CURRUNT.